

De prodicione ab inimicis in Faventinis commissa [a].

CAP. LXVIII.

Factum est, postquam Ravennates et Livenses saepissime per experientiam didicerunt non sibi expedire nec etiam fore tutum, in loco campestri Faventinis occurrere, de ipsis, si quando possent, prodicionibus triumphare curaverunt atque fallaciis. Sub anno itaque Domini MCLXX, in introitu Februarii duo castellani Castelloni, Guilarinus [b] scilicet et Iohannes [c] Basadonna, docti a Ravennatibus et Livensibus, se castrum Castelloni [d] Faventinis daturus eorum promiserunt consulibus; et recepta ab eis promissione non [e] modica per sacramentum, firmaverunt et ipsi per iuramentum, quod promiserant ad effectum perducere. Nocte itaque statuta, et omnibus quae ad prodicionem spectabant hinc inde rite paratis, ad praedictum equitaverunt castrum Faventini cum gaudio magno atque silentio, et cum quingentis bellicosus viris ad intrandum electis. Cum intrassent [f] in castrum dumtaxat duodecim, credentibus Livensibus, qui in castello erant, et castellanis quod plures [g] essent ducentis qui jam intraverant, quodam funiculo inciso, cecidit repente vehes magna [h] terra plena atque lapidibus, quae et portas subito clausit, et duos ex nostris peditibus contrivit [i]. Reliquos vero, numero decem, cum inimicis per spatium maximum noctis et diei viriliter praefeliantes, viri praedicti ad hoc destinati fortiter vulneraverunt, atque tandem in vincula tradiderunt. Cives quoque [k] sub magno periurio et prodicione decepti repatriarunt, captionem et mortem suorum [l] flentes atque gementes. Infra ergo paucos dies, prout semel vel bis in septimana consueverant, Forolivium equitarunt [m], omnia usque Slaviniam [n] [A] penitus devastantes; in hostes quoque, qui ad eis resistendum Burgo exiverant, [o] more leaenae [p] catulos educantis debachantes, quosdam occiderunt; quam plures autem cum pueris et mulieribus captivos duxerunt, dignam pro factis mercedem inimicis reddentes. Iustissi-

[a] in Faventinis commissa. Sic C. M.; sed habet in Faventinis. Codex vero V. sic: in Faventinis facta apud Castellionum. — [b] Castellioni, Guilarinus, C. M.; Castilioni, C. V. — [c] et Iohannes, C. A. In Codd. M. et V. deest et. — [d] castrum Castelloni, C. M.; castrum Castillioni, C. V. — [e] promissione non, C. M.; permissione non, C. V. — [f] Cum intrassent. Sic lego C. M.; et jam intrassent, C. A.; jam intraverant, C. V.; jam intrassent ipse C. M. habere videtur. — [g] quod plures, Codd. V. et A.; quamplures legit cl. Mitt. — [h] vehes magna. Sic lego. Veges magna habent Codd. Vehes autem id plauti genus est, quod vulgo Carriola, aut Barella vocatur. — [i] peditibus contrivit. Sic Codd. V. et A. In C. M., peditibus contrarium legitur. Cl. Mitt. legit penitus contrivit. — [j] in vincula tradiderunt. Codd., in vinculis tradiderunt. — [k] Cives quoque, Codd. M. et V.; Cives vero, C. A. — [l] mortem suorum, C. M.; mortes suorum, C. V. — [m] equitarunt. Sic legendum duco. Codd., equitare. — [n] Slaviniam, C. M.; Slavoniam, C. V. — [o] Burgo exiverant. Sic lego. Codd. habent, Burgum exiverant. — [p] more leaenae. Sic lego; more leone habet C. M.; more leonis, C. V.; more leaenae, C. A.

[A] Slaviniā, et Slavaniā, vulgo Schiavonia, erat suburbium Forolivii, nunc intra portam urbis receptum, quod adhuc idem nomen obtinet, estque primus vicus, in quem incidunt Faventia Forolivium proficiscentes, statim ac portam ingressi sunt. Vide seq. cap. LXIX.